

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

Epistola IV. Vitaliani Papae Ad Georgivm Episcopvm Syracvsanvm. Vt
Ioanni episcopo Lappensi faueat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

pensis ecclesiæ nobis suggesterit , afferens eius parochiæ pertinentia monasteria , vnum quod appellabatur Pa- lea , & alterum quod vocatur Arsilli , a tua ecclesia esse inuasa . Ideoque , si ita est , hortamur tuam carissimam fraternitatem , vt ei secundum terminos sanctorum Ca- nonum reddi faciat : quia vnicuique quod iustum est vo- lumus conseruari , maxime a nostris fratribus . Cognouimus denique , quod quidam diaconus , nomine Ioannes , postquam consecratus est minister , accepisset vxorem : & non solum hoc , sed & in duabus ecclesiis militet . Id- eoque , si ita est , hoc tua dilectissima fraternitas pro Dei amore corrigat , ne denuo huiusmodi nefas proueniat adinstar male viuentium . Deinde cognouimus , quod quemdam curialem , nomine Eulampium , habeat quasi consiliarium . Non enim , vt nobis suggestum est , eum constat esse bona vita . Ille enim quotidie , vt fertur , in- ter fratres zizania seminat , vt de eorum discordia mar- supium impleteat . Quamobrem , si ita est , hortamur tuam fraternitatem , eum a se proiicere , vt eius opinio coram Deo & hominibus floreat . Data vt supra .

EPISTOLA IV.

VITALIANI PAPÆ

AD GEORGIVM EPISCOPVM SYRACVSANVM.

Vt Ioanni episcopo Lappensi faueat .

Vitalianus Georgio episcopo Syracusano.

GESTA , sive sententiam a tua fraternitate directam , di-
rectissimo filio nostro Gaudentio primicerio scriben-
te eam , sibi ab antistite Cretensis insulæ transmissam , pro
causa episcopi Lappensis ecclesiæ , suscepimus , scriben-
tes ei quamobrem admirati sumus , cur ipse Cretenis an-
tistes nobis aut per suum clericum hanc minime direxe-
rit , aut per sua scripta non indicauerit quæ erant necessa-
ria . Præfatus enim Ioannes Lappensis ecclesiæ , huius-
modi sententiam manu eius metropolitæ episcoporum-
que subscriptam , cum sua nobis obtulit petitione , po-
stulans suæ causæ meritum canonice requiri . Cuius pre-
cibus moti , pro tali re in hac vrbe fecimus congrega-
ri Synodus , vt cognosceretur huiusmodi negotium .

Concil. Tom. 15.

B b b ij

Cumque esset congregata, relecta est nimis petitio
Ioannis præfulis, ac sententia a tua directa fraternitate:
quibus nobis eisque visum est non secundum sacratissi-
mos Canones, neque secundum instituta patrum, esse ea-
dem gesta promulgata aduersus prænominatum Lappen-
sis ecclesiæ episcopum. Idcirco decreuimus, eam, per no-
stra præceptionis auctoritatem, esse inanem & vacuam,
absoluentes eum ad suam ecclesiam remeare cum no-
stra præceptione ad eumdem eius metropolitam facta.
Ideoque eo illic ad tuam fraternitatem se coniungente,
ei ita concurrat, vt cum literis commendatitiis domini
excellentissimi Vaani filii nostri imperialis cubicularii &
chartularii, ad suam ecclesiam prospere reuertatur. Vi-
ua enim voce pro sua causa subtiliter tuæ fraternitati,
dum ab ea requisitus fuerit, profecto indicabit, ostendens ei exemplar præcepti nostri, ad Cretensem metro-
politam directi. Præterea & Siluinus tibi * intimandum
omnia prædicantes, ne modum transgredi literarum cer-
neremur. Data ut supra.

EPISTOLA V.

VITALIANI PAPÆ
AD OSVVI REGEM NORDANHVMBRORVM,
EIVS DE PASCHATE IVDICIVM EXPETENTEM.

Gratulatur gentes sui regni ad fidem conuersas, vtque
Pascha ceteraque apostolorum traditiones obserua-
ri, totamque insulam Deo dicari curet, & reliquias
sanctorum ei mittit.

*Domino excellentissimo filio Osuio regi Saxonum Vitalianus
episcopus seruus seruorum Dei.*

Beda ibidē.
Zelum re-
gis laudat
& accedit.

DESIDERABILES literas excellentiæ vestræ suscep-
imus, quas relegentes, cognouimus eius piissimam
deuotionem, feruentissimumque amorem quem habet
propter beatam vitam. Et quia dextra Domini protegen-
te ad veram & apostolicam fidem sit conuersus, sperans,
sicut in sua gente regnat, ita & cum Christo in futuro
conregnare. Benedicta igitur gens, quæ talem sapientissi-
mum & Dei cultorem promeruit habere regem. Quia
non solum ipse Dei cultor existit, sed etiam omnes subie-

* al. inti-
mabit
omnia
prædicta
ne